

scriptorum omnium quorum hucusq; evol-
vimus libros sententiæ nostris experimentis
contrarium comprobari poterit? quanto me-
lius Dioscorides auctor probatissimus, viperæ
carnes si cocti, inquit, edantur, claritatē ocu-
lis afferunt lib. 2. cap. 16. paulo inferius sub-
jungit, longam senectutem agere qui eo cibo
vescuntur; quod Plinius hunc in modum lib.
7. cap. 2. confirmavit: Cynos Indorum ge-
nus Isigonus tradit, annos centenos & qua-
dragenos vivere; Æthiopas etiam, & Seras exi-
stimat, qui & Athō montem incolunt, hos qui-
dem quia viperinis carnibus alantur. Cervos
tamdiu vivere cum firma corporum constitu-
tione, tum serpentum victu evenire creden-
dum est. Ita quoq; testudo terrestris vipera
victitat, qua pasta sine præparatione viscerib⁹
per adversantem cunilam natura nocumen-
tum evenenatis partibus feræ sibi proventurū,
Basilio magno in hexamerocap. 9. auctore, evi-
tat, quo cibo diuti⁹ vivit occultaq; proprietate
longiorem consueta vitam extendit, ut alia
omittam. Cum igitur tuto viperinæ carnes
comedantur, & oculorum habitudinem
tollant, & claritatem pariant, senium protra-
hant, & ad centesimum, & quinquagesimū
annum traducant vescentes, quo pacto mor-
tem accersent, ut hic asseritur; ratio nostra est